

## DOMINICA IN SEPTUAGESIMA

### Themata sermonis

Primum evangelium in Septuagesima: *Simile est regnum caelorum homini patrifamilias*, quod dividitur in duabus clausulis. Introitus missae: *Circumdederunt me*. Epistola: *Nescitis quod ii qui in stadio currunt*. Historia: *In principio creavit Deus caelum et terram*.

[DE PRIMA CLAUSULA]. In huius evangelii prima clausula haec ad minus invenies themata sermonum vel principia praedicationum.

In primis sermo ad informationem cordis peccatoris et de proprietate lateris, ibi: *Sume tibi laterem*.

Item sermo de septem articulis fidei, ibi: *Prima die dixit Deus: Fiat lux*.

Item sermo in Nativitate Domini, ibi: *Prima die dixit Deus: Fiat lux*.

Item sermo de Baptismo et de eis qui ipsum violant, ibi: *Fiat firmamentum* etc.

Item sermo de Passione Christi et fide Ecclesiae, ibi: *Germinet terra* etc.

[DE SECUNDA CLAUSULA]. In secunda evangelii clausula, in primis sermo de contritione cordis ad poenitentes, ibi: *Dixit Deus: Fiat lux, et facta est lux*.

Item sermo ad poenitentes, ibi: *Ingressus Saul*.

Item sermo contra divites, ibi: *Dominus paravit vermem*.

Item sermo ad confitentes, ibi: *Fiat firmamentum*.

Item sermo ad poenitentes vel claustrales, ibi: *Quis dimisit onagrum*.

Item sermo de dilectione Dei et proximi ibi: *Fiant duo luminaria*. Et nota quod ex hac auctoritate potest elici sermo in festo apostolorum Petri et Pauli. Petrus fuit luminare maius, qui praefuit diei, idest Iudaeis; Paulus luminare minus, qui praefuit nocti, idest Gentilibus.

Item sermo ad contemplativos et de proprietate avis, ibi: *Homo nascitur ad laborem*.

Item sermo de duplici glorificatione, animae scilicet et corporis, ibi: *Erit mensis ex mense*.

### Exordium. Sermo ad informationem cordis peccatoris

1 - *In principio creavit Deus* etc. <sup>1</sup>

Ezechieli, 'idest praedicatori' <sup>2</sup>, loquitur Spiritus Sanctus; *Et tu, fili hominis, sume tibi laterem, et scribe in eo civitatem Ierusalem* <sup>3</sup>. 'Later, propter quattuor proprietates, quas habet, significat cor peccatoris' <sup>4</sup>: 'inter duas tabulas formatur' <sup>5</sup>, ad latitudinem ducitur, igne solidatur, rubicundus efficitur. Cor enim peccatoris debet formari inter duas tabulas utriusque Testamenti: *Inter medium enim montium*, idest duorum Testamentorum, ut dicit Propheta, *pertransibunt aquae* <sup>6</sup>, 'scilicet doctrinales' <sup>7</sup>. Et bene dicit formatur: peccator enim, peccato deformatus, formam recipit utriusque Testamenti praedicatione. Item, ad latitudinem ducitur: latitudo enim caritatis amplificat cor angustum peccatoris; unde: *Latum mandatum tuum nimis* <sup>8</sup>, et caritas latior est oceano. Item igne solidatur: tribulationis enim igne mens humorosa et dissolubilis solidatur, ne effluat in amorem temporalitatis,

<sup>1</sup> Gen 1,1

<sup>2</sup> Cf. GREGORIUS, *Homiliarum in Ezechielem* I, homilia 12,23, PL 76,929: «Propheta typum praedicantium vel doctorum tenet». L'applicazione di Antonio si limita alla sola tipologia profeta-predicatore; il resto dell'allegoria segue una via totalmente diversa da quella di Gregorio.

<sup>3</sup> Ez 4,1 (Vg. ... *laterem et pones eum coram te et describes in eo...*)

<sup>4</sup> Cf. GREG. (540-604), l.c. *Moralia* II, PL 76,354: «Doctores quippe sancti sibi laterem sumunt, quando terrenum cor auditorum ut doceant apprehendunt». Antonio: *later-cor peccatoris*; Gregorio: *later-proximi cor terrenum*, dedito alle cose terrene. Per Antonio si tratta di conversione; per Gregorio, di educazione alla contemplazione; Cf. RABANUS MAURUS (780-856), *Commentaria in Ezechielem*, PL 110,589: «Dicatur ergo, «Sume tibi laterem; idest, proximi cor terrenum», pones eum coram te: «scilicet ut vitam atque intellectum illius intenta mente custodias».

<sup>5</sup> Cf. ISIDORUS, *Etymologiarum* XV,8,16, PL 82,550: «Lateres, et laterculi, quod lati formentur, circumactis undique quatuor tabulis». In questo passo, Isidoro s'ispira a Varrone.

<sup>6</sup> Ps 103,10

<sup>7</sup> GLO. INT., ibidem, ut supra n.7.

<sup>8</sup> Ps 118,96

quia, ut dicit Salomon, ‘quod fornax auro, quod lima ferro, quod flagellum grano, hoc facit tribulatio iusto’<sup>9</sup>. Item rubicundus efficitur: in quo notatur sancti zeli audacia, de quo: *Zelus domus tuae*, idest Ecclesiae vel fidelis animae, *comedit me*<sup>10</sup>, et Elias: *Zelo zelatus sum*<sup>11</sup> pro domo Israel.

In latere ergo quattuor ista notantur: utriusque Testamenti scientia ad proximum instruendum, caritatis abundantia ad ipsum diligendum, tribulationis patientia ad opprobrium pro Christo sustinendum, zeli audacia ad omne malum feriendum. *Sume ergo tibi laterem, et scribe in eo civitatem Ierusalem.*

2 - Nota quod ‘triplex est Ierusalem spiritualis: prima militans Ecclesia, secunda fidelis anima, tertia caelestis patria’<sup>12</sup>. Sumam ergo in nomine Domini laterem, idest cor cuiuslibet auditoris, et scribam in eo civitatem triplicem, idest articulos Ecclesiae, virtutes animae, praemia caelestis patriae, sub septenario numero ex utroque Testamento auctoritates inducendo et easdem exponendo.

## I – De septem diebus creationis et de septem articulis fidei

3 - *In principio creavit Deus caelum et terram* etc.  
“Intellige continens et contentum”<sup>13</sup>. “Deus, idest Pater, in principio, idest in Filio, creavit”<sup>14</sup> et recreavit: creavit sex diebus, septimo requiescens; recreavit sex fidei articulis, requiem aeternam septimo repromittens.

Prima die dixit Deus: *Fiat lux. Et facta est lux*<sup>15</sup>: primus articulus fidei, Nativitas. Secunda die dixit Deus: *Fiat firmamentum in medio aquarum, dividens aquas ab aquis*<sup>16</sup>: secundus fidei articulus, Baptismus. Tertia die dixit Deus: *Germinet terra herbam virentem et facientem semen, lignumque pomiferum faciens fructum iuxta genus suum*<sup>17</sup>: tertius articulus, Passio. Quarta die dixit Deus: *Fiant duo luminaria magna in firmamento*<sup>18</sup>: quartus articulus, Resurrectio. Quinta die fecit Deus ‘volatilia in aere’<sup>19</sup>: quintus articulus, Ascensio. Sexta die dixit Deus: *Faciamus hominem ad imaginem et similitudinem nostram. Et inspiravit in faciem eius spiraculum vitae, et factus est homo in animam viventem*<sup>20</sup>: sextus articulus, Spiritus Sancti missio. ‘Septima die requievit Deus ab omni opere quod patrarat’<sup>21/a</sup>: septimus articulus, Adventus ad iudicium, in quo requiescemus ab omnibus operibus nostris et laboribus.

Invocemus ergo Spiritum Sanctum, qui est amor et nexus Patris et Filii<sup>21/b</sup>, ut ipse det nobis ita connecti et concordare utrumque septenarium, scilicet dierum et articulorum, ut ad honorem ipsius et Ecclesiae suae proveniat aedificationem.

---

<sup>9</sup> Cf. Sap 3,6; Pr 17,3; 27,21

<sup>10</sup> Ps 68,10

<sup>11</sup> 3Reg 19,10

<sup>12</sup> Cf. BEDA, *In Cantica Cantorum allegorica expositio*, IV, PL 91,1142: «Psalmista dicit: “Lauda, Ierusalem, Dominum” (Ps 147); quod iuxta litteram quidem cives urbis illius, in qua templum Dei erat, ad laudes et dicenda hortantur. At vero iuxta allegoriam Ierusalem, Ecclesia Christi est toto orbe diffusa; item iuxta tropologiam, idest moralem sensum, anima quaeque sancta Ierusalem recte dicitur; item iuxta anagogem, idest intelligentiam ad superiora ducentem, Ierusalem habitatio est patriae caelestis, quae ex angelis sanctis et hominibus constat».

<sup>13</sup> P. COMESTOR, *Historia scholastica*, Liber Genesis, 1, PL 198,1055

<sup>14</sup> GLO. INT., Gen 1,1: «Ante cetera vel in Filio; Pater tamquam omnium creator».

PETRUS LOMBARDUS (1096-1164), *Sent. I*, dist. 2, 6, PL 192, 527; Ad Claras Aquas, I, p. 65: “In principio, id est, in Filio, creavit Deus caelum et terram”; AUGUSTINUS HIPPONENSIS (354-430), *In Ioannis evangelium tractatus CXXIV*, PL 35,1512. *Sermo ad populum II*, PL 38,24: «Verbum caro factum est, et habitavit in nobis (Io 1,1,3,14. Fortitudo Christi te creavit, infirmitas Christi te recreavit); GODEFRIDUS ADMONTENSIS (-1165), *Homiliae dominicales*, PL 174,430: «Nam quod hominem creavit, in hoc non laboravit, multum vero laboravit, quando eum recreavit».

<sup>15</sup> Gen 1,3

<sup>16</sup> Gen 1,6 (Vg. ...et dividat...)

<sup>17</sup> Gen 1,11 (Vg. ...et lignum...)

<sup>18</sup> Gen 1,14 (Vg. *Fiant luminaria in...*)

<sup>19</sup> Cf. Gen 1,200

<sup>20</sup> Gen 1,26; 2,7

<sup>21/a</sup> Gen 2,2

4 - Prima die dixit Deus: *Fiat lux* etc. Ista lux est Sapientia Dei Patris, ‘illuminans omnem hominem venientem in hunc mundum’<sup>22</sup> ‘et habitans lucem inaccessibilem’<sup>23</sup>, de qua dicit Apostolus ad Hebraeos: *Qui cum sit splendor et figura substantiae eius*<sup>24</sup>, et de quo Propheta: *In lumine tuo videbimus lumen*<sup>25</sup>, et in libro Sapientiae: *Sapientia est candor lucis aeternae*<sup>26</sup>. De qua ergo dixit Pater: *Fiat lux. Et facta est lux*, quod Ioannes apertius glossat dicens: *Verbum caro factum est, et habitavit in nobis*<sup>27</sup>. Et Ezechiel, simili sensu sed dissimili verbo: *Facta est, inquit, super me manus Domini*<sup>28</sup>, idest Filius, in quo et per quem omnia fecit. Lux ergo quae erat inaccessibilis et invisibilis, facta est in carne visibilis, ‘illuminans sedentem in tenebris et umbra mortis’<sup>29</sup>. De qua illuminatione habes in Ioanne quod Iesus ‘expuit in terram et fecit lutum, et linivit oculos caeci nati’<sup>30</sup>. ‘Sputum, descendens a capite Patris, sapientiam significat’<sup>31</sup>: *Caput*, inquit Apostolus, *Christi, Deus*<sup>32</sup>. Unitur ergo sputum pulveri, idest divinitas humanitati, ut illuminentur oculi caeci nati, ‘idest generis humani, in primo parente excaecati’<sup>33</sup>. Ecce aperte habes, quod ea die, qua dixit Deus *Fiat lux*, eadem die, scilicet dominica, Sapientia Dei Patris, natus est de Virgine Maria, tenebras, quae *erant super faciem abyssi*<sup>34</sup>, “idest cordis humani”<sup>35</sup>, effugavit. Unde ipsa die cantatur in MISSA DE LUCE<sup>36</sup>: “Lux fulgebis etc.”<sup>37</sup>, et in evangelio: *Circumfulsit pastores lux de caelo*<sup>38</sup>.

5 - Secunda die dixit Deus: *Fiat firmamentum in medio aquarum, et dividant aquas ab aquis* etc. Firmamentum in medio aquarum est Baptismus, dividens aquas superiores ab aquis inferioribus, idest fideles ab infidelibus, qui bene dicuntur aquae inferiores, eo quod inferiora petunt et suis lapsibus quotidie deficiunt. Aquae vero superiores significant fideles, qui secundum Apostolum debent quaerere *quae sunt sursum, ubi Christus est in dextera Dei sedens*<sup>39</sup>.

Et nota quod aquae istae dicuntur crystallinae. “Crystallus enim, solis radiis tactus vel percussus, scintillas ardentes emittit”<sup>40</sup>; sic fidelis vir, solis radiis illuminatus, scintillas rectae praedicationis et bonae operationis, proximum accendentes, debent emittere. Sed, heu! heu! rupto firmamento, aquae superiores dilabuntur in mare mortuum, cum mortuis ingredientibus. Unde Ezechiel:

<sup>21/b</sup> Cf. ALANUS DE INSULIS (1128-1203), *Sermones*, PL 210,197: «Est autem primum genus osculi, quod fit per spirituales coniunctionem animae et Dei; secundum osculum est, quo Pater osculatur Filium, est enim Spiritus sanctus Patris et Filii amor et nexus».

<sup>22</sup> Cf. Io 1,9

<sup>23</sup> Cf. 1Tim 6,16

<sup>24</sup> Hebr 1,3 (Vg. ... *splendor gloriae*...)

<sup>25</sup> Ps 35,10

<sup>26</sup> Sap 7,26 (Vg. *Candor est enim*...)

<sup>27</sup> Io 1,14

<sup>28</sup> Ez 3,22

<sup>29</sup> Cf. Lc 1,79

<sup>30</sup> Cf. Io 9,6

<sup>31</sup> Cf. GLO. ORD., ibidem: “Saliva est sapientia quae ex ore Altissimi prodiit”. Cf. REMIGIUS ANTISSIODORENSIS (c.841-908), *Excerpta ex Remigii expositione in Paschale carmen* [CSEL], 4: PL 152: “Per sputum sapientia”; RUPERTUS TUITIENSIS (DE DEUTZ, 1070-1129), *De divinis officiis*, PL 170,114: «Sputum est oris et labiorum eius, in quibus ‘gratia diffusa est’ (Ps 44), sputum, inquam, quod a capite descendit, significat divinitatem Christi Filii Dei, Verbum bonum, quod eructavit cor Patris, qui, ut ait Apostolus: “Christi caput est” 1Co 11,3)».

<sup>32</sup> 1Cor 11,3 (Vg. *Caput vero*...)

<sup>33</sup> Cf. GLO. ORD., Io 9,1: «Caecus significat humanum genus, in quo caecitas naturalis, quia peccante primo homine, vitium propter naturam inolevit (si è “radicato”), unde secundum mentem omnis homo caecus natus est».

<sup>34</sup> Gen 1,2. Cf. RUPERTUS TUITIENSIS (DE DEUTZ), *De Trinitate et operibus eius*, 16, PL 167,1630: «Et quomodo in illo antiquo principio cum creasset Deus caelum et terram: Terra erat inanis et vacua, et tenebrae erant super faciem abyssi (Gn 1), sic et in isto novo creaturae novae principio, totus mundus a sapientiae cognitione inanis et vacuus erat, et tenebrae ignorantiae erant super faciem cordis totius generis humani».

<sup>35</sup> GLO. INT., ibidem: “Humani cordis”.

<sup>36</sup> Missa *in aurora*, idest secunda missa in festo Nativitatis Domini

<sup>37</sup> Introitus eiusdem missae. Cf. Is 9,2,6

<sup>38</sup> Lc 2,9 (Vg. *Claritas Dei circumfulsit illos*...). Haec verba leguntur in fere media pericope evangelii primae missae eiusdem festi (Cf. MISSALE ROMANUM, ibidem).

<sup>39</sup> Col 3,1

<sup>40</sup> Cf. ISID., *Etym.* XVI,13,1, PL 82,577

*Aquae istae, quae egrediuntur a tumulo sabuli orientalis et descendunt in plana deserti, intrabunt mare*<sup>41</sup>. ‘Tumulus significat contemplationem, in qua, uti in tumulo, mortuus sepelitur et absconditur’<sup>42</sup>. Vir contemplativus, mundo mortuus, a conturbatione hominum absconsus, sepelitur. Unde Iob: *Ingredieris in abundantia sepulcrum, sicut infertur acervus tritici in tempore suo*<sup>43</sup>. Iustus in abundantia gratiae sibi collatae ingreditur sepulcrum vitae contemplativae, sicuti acervus tritici in tempore suo infertur in horreum: exsufflatis enim paleis temporalium, eius mens in horreo caelestis plenitudinis reponitur; reposita, ipsius dulcedine satiatur.

6 - Et nota quod tumulus iste dicitur *sabuli orientalis*. In sabulo poenitentia designatur. Unde habes in Exodo quod Moyses *percussus Aegyptium abscondit sub sabulo*<sup>44</sup>, quia vir iustus mortale peccatum debet percutere in confessione et abscondere poenitentiae satisfactione, quae debet semper respicere ad illum Orientem, de quo Zacharias: *Ecce vir Oriens nomen eius*<sup>45</sup>.

Dicatur: *Aquae istae, quae egrediuntur a tumulo sabuli orientalis* etc. Heu! Quantae aquae, quanti religiosi egrediuntur a tumulo vitae contemplativae, a sabulo poenitentiae, ab oriente gratiae. Egrediuntur, inquam, ‘cum Dina et Esau de domo paterna’<sup>46</sup>, ‘cum diabolo et Cain a facie divina’<sup>47</sup>, ‘cum Iuda proditore, loculos habente, a Christi schola’<sup>48</sup>, et ‘descendunt ad plana deserti, ad campum Ierichontinae solitudinis, in qua, ut dicit Ieremias, a Nabuchodonosor, idest diabolo, in latitudine temporalium excaecatur Sedecias, idest peccator rationis lumine privatur, propriis filiis, idest operibus, ab ipso diabolo interemptis’<sup>49</sup>.

In hoc plano Cain, “qui interpretatur possessio”<sup>50</sup>, interfecit Abel, “qui interpretatur luctus”<sup>51</sup>. Luctum enim poenitentiae interfecit possessio abundantiae transitoriae. Descendunt ergo aquae ad plana deserti; unde dicitur in Genesi: *Cum proficiscerentur de oriente in occidentem, invenerunt campum in terra Sennaar*<sup>52/a</sup>. De oriente gratiae in occidentem culpae<sup>52/b</sup> proficiscuntur filii Adam, et, invento campo mundani gaudii habitant in terra Sennaar, “quod interpretatur foetor”<sup>53</sup>. In foetore enim gulae et luxuriae aedificant suae conversationis domum, non tamquam christiani, sed sicut pagani nomen Dei sui in vanum assumentes, cum dicat Dominus in Exodo: *Non assumes nomen Dei tui in vanum*<sup>54</sup>; in vanum nomen Dei assumit qui non rem nominis, sed nomen sine re gerit. Et ita ingrediuntur mare, idest amaritudinem peccatorum, ut de hac perveniant ad amaritudinem tormentorum.

Sed Deus fecit firmamentum Baptismi in medio aquarum, ut divideret aquas ab aquis; sed isti peccatores, ut dicit Isaias, *transgressi sunt leges, mutaverunt ius, dissipaverunt foedus sempiternum. Propterea maledictio vorabit terram, et peccabunt habitatores eius, ideoque insanient cultores eius*<sup>55</sup>. Leges litterae et gratiae transgrediuntur, quia nec legem litterae sicut servi, nec legem gratiae, sicut filii volunt custodire; mutant ius naturale, quod est: ‘Quod tibi non vis fieri, aliis ne feceris’<sup>56</sup>; dissipant foedus sempiternum, quod pepigerunt in Baptismo. Et ideo maledictio superbiae vorabit terram, idest terrenos, et peccabunt habitatores eius peccato avaritiae, quibus dicitur in Apocalypsi:

<sup>41</sup> Ez 47,8 (Vg. mut)

<sup>42</sup> Cf. GLO. ORD., Iob 5,26

<sup>43</sup> Iob 1,c

<sup>44</sup> Ex 2,12 (Vg. ... *abscondit sabulo*)

<sup>45</sup> Zach 6,12

<sup>46</sup> Cf. Gen 34,1; 28,9

<sup>47</sup> Cf. Gen 4,16

<sup>48</sup> Cf. Io 13,29-30

<sup>49</sup> Cf. Ier 39,4-7

<sup>50</sup> GLO. ORD., Gen 4,1

<sup>51</sup> GLO. ORD., ibidem

<sup>52/a</sup> Gen 11,2 (Vg. mut)

<sup>52/b</sup> JACQUES DE VITRY (1170-1240), *Dominica 19 post octavam Pentecostes: « De oriente gratiae in occidentem culpae »*

<sup>53</sup> Glo. int., ibidem: “Quod est foetor”.

<sup>54</sup> Ex 20,7 (Vg. ... nomen Domini Dei...)

<sup>55</sup> Is 24,5-6 (Vg. ... *Propter hoc...*)

<sup>56</sup> Cf. Tob 4,16

‘Vae, qui habitant super terram’<sup>57</sup>, et insanient cultores eius peccato luxuriae, quae est insania et mentis amentia.

7 - Tertia die dixit Deus: *Germinet terra herbam virentem* etc. Terra, ‘quae dicitur a tero teris’<sup>58</sup>, ‘est corpus Christi’<sup>59</sup>, quod ‘fuit attritum, ut dicit Isaias, propter peccata nostra’<sup>60</sup>. Et haec terra fuit clavis et lancea fossa et exarata, de qua dicitur: “Fossa dabit tellus optato tempore fructus. Fossa caro Christi caelica regna dedit”<sup>61</sup>; germinavit herbam virentem in apostolis, facientem semen praedicationis in martyribus et lignum pomiferum faciens fructum in confessoribus et virginibus. Fides in primitiva Ecclesia erat quasi herba tenera, unde dicebant apostoli in Canticis: *Soror nostra*, idest primitiva Ecclesia, *parvula* est numero fidelium, *et ubera non habet*, quibus filios suos lactet; nondum enim fuerat gravidata Spiritu Sancto, et ideo dicebant: *Quid faciemus sorori nostrae in die Pentecostes, qua alloquenda est*<sup>62</sup> allocutione Spiritus Sancti? De qua dixit Dominus in evangelio: *Ille vos docebit omnia et suggeret*, “idest subministrabit”<sup>63</sup>, *vobis omnia*<sup>64</sup>.

8 - Quarta die dixit Deus: *Fiant duo luminaria in firmamento*. ‘In firmamento, idest in Christo, iam per Resurrectionem glorificato’<sup>65</sup>, fuerunt duo luminaria: claritas scilicet Resurrectionis, quae notatur in sole, et incorruptibilitas carnis, quae notatur in luna, habito respectu ad statum solis et lunae ante lapsum primi parentis, post cuius inobedientiam omnes creaturae patiuntur detrimentum. Unde Apostolus: *Omnis creatura ingemiscit et parturit usque adhuc*<sup>66</sup>.

9 - Quinta die fecit Deus aves caeli, cui bene consonat et concordat quintus articulus, scilicet Ascensio, in qua Dei Filius, tamquam avis, cum carne assumpta ad dexteram Patris advolavit. Unde ipse dixit in Isaia: *Vocans ab oriente avem, et de terra longinqua virum voluntatis meae*<sup>67</sup>. *Vocans ab oriente*, idest monte Oliveti, qui est in oriente, de quo dicitur: *Qui ascendit super caelum caeli*<sup>68</sup>, ‘idest ad aequalitatem Patris’<sup>69</sup>; *avem*, idest ‘Filius meum’<sup>70</sup>, *et de terra longinqua*, “idest mundo”<sup>71</sup>, *virum voluntatis meae*, qui dixit: *Meus cibus est ut faciam voluntatem Patris mei qui misit me*<sup>72</sup>.

10 - Sexta die dixit Deus: *Faciamus hominem* etc. Sextus articulus fidei est Spiritus Sancti missio, in qua imago Dei, in homine deformata et deturpata, per Spiritus Sancti inspirationem, qui *inspiravit in faciem hominis spiraculum vitae*<sup>73</sup>, reformatur et illuminatur, sicut dicitur in Actibus apostolorum: *Et factus est repente de caelo sonus, tamquam advenientis spiritus vehementis*<sup>74</sup>.

Et nota quod bene Spiritus Sanctus dicitur *vehemens*, idest vae aeternum adimens; vel *vehemens*, idest sursum vehens mentem. Unde David propheta: *Signatum est super nos lumen vultus tui, Domine*<sup>75</sup>. Vultus Patris, Filius; sicut enim per vultum quis cognoscitur, sic per Filium Patrem cognovimus. Lumen ergo vultus Dei est cognitio Filii et illuminatio fidei, quae in die Pentecostes in

<sup>57</sup> Cf. Ap 8,13

<sup>58</sup> Cf. ISID., *Etym.* XIV,1,1, PL 82,495

<sup>59</sup> Cf. GLO. ORD., Iob 9,24. BRUNO HERBIPOLENSIS EPISCOPUS (DE WÜRZBURG) (1005-1045), *Expositio Psalmorum*, PL 142,353: «Vel certe, terra, est Ecclesia, idest corpus Christi, mysticum, omnes, scilicet fideles».

<sup>60</sup> Cf. Is 53,5

<sup>61</sup> HERVIEUX, *Les fabulistes latins*, 4,354. – Init. 6823. (Cf. WALTHER, *Carmina...*)

<sup>62</sup> Cant 8,8 (Vg. ... parva... in die quando...; in GLO. ... parvula...)

<sup>63</sup> GLO. INT., Io 14,26: «Ab occulto nos ministrabit quasi interiores, vel commorabit vos et facit vos memores omnium... Docebit ut faciatis, suggeret ut velitis».

<sup>64</sup> Io, l.c.

<sup>65</sup> Cf. GREG., *Homiliarium in Ez.* I, homilia 7,19, PL 76,849

<sup>66</sup> Rom 8,22

<sup>67</sup> Is 46,11

<sup>68</sup> Ps 67,34

<sup>69</sup> Cf. GLO. INT., ibidem: «Primus aequalis supra caelum caeli. Excelsiores creatos ut nihil supra se haberet».

<sup>70</sup> Cf. GLO. INT., Is l.c.: «Filius in quo mihi complacui, vocavi ad caelum in ascensione».

<sup>71</sup> GLO. INT., ibidem: «Per prophetas de adventu filii, de redemptione mundi».

<sup>72</sup> Io 4,34 (Vg. ... voluntatem eius qui...). Patris est GLOSSA ORD., ibi

<sup>73</sup> Gen 2,7 (Vg. ... in faciem eius...)

<sup>74</sup> Act 2,2

<sup>75</sup> Ps 4,7

cordibus apostolorum, tamquam quidam character, fuit insignita et impressa. Et sic *factus est homo in animam viventem* <sup>76</sup>.

11 - Septima die requirit ad omnibus operibus suis Deus. Et Ecclesia in septimo articulo requiescet ad omni labore et sudore, quando *absterget Deus omnem lacrimam ab oculis eius* <sup>77</sup>, 'idest omnem causam lacrimandi' <sup>78</sup>; tunc ipsa a sponso suo laudabitur et audire merebitur: *Date ei de fructu manuum eius, laudent eam in portis 'iudicii' opera eius* <sup>79</sup>, cum audiet ipsa cum filiis suis *sibillum aurae tenuis* <sup>80</sup>: *Venite, benedicti etc.* <sup>81/a</sup>

His septem diebus et septem fidei articulis breviter in latere descriptis, moraliter ad scribendum sex virtutes animae et sex horas lectionis evangelicae, cum denario et sabbato concordantes, accedamus. <sup>81/b</sup>

## II – De sex diebus creationis et de sex virtutibus animae

12 – Secunda Ierusalem, idest anima fidelis, quae in Matthaeo <sup>82</sup> vinea nuncupatur; qualiter fodienda sit sarculo contritionis et falce confessionis putanda et paxillis satisfactionis sustentanda sit, sub compendio pertractemus.

Dixit Deus: *Fiat lux. Et facta est lux*. Quia, ut dicit Ezechiel, 'rota erat in rota' <sup>83</sup>, "idest Novum Testamentum in Veteri" <sup>84</sup>, et 'cortina trahit cortinam' <sup>85</sup>, idest Novum exponit Vetus. Ideo sex horas evangelii cum operibus sex dierum moraliter exponentes, Novum cum Veteri concordemus.

13 – Prima ergo die dixit Deus: *Fiat lux. Et facta est lux*. Audi concordantiam primae horae: *Simile est regnum caelorum patrifamilias, qui exiit primo mane etc.* <sup>86</sup>

Nota quod sex sunt virtutes animae, cordis scilicet contritio, oris confessio, operis satisfactio, Dei et proximi dilectio, vitae activae et contemplativae exercitatio, finalis perseverantiae consummatio. Cum super faciem abyssi, « idest cordis » <sup>87</sup>, sunt tenebrae peccati mortalis, homo patitur ignorantiam divinae cognitionis et suae fragilitatis, et nescit discernere inter bonum et malum. Et hoc est triduum, de quo dicitur in Exodo, quod 'tribus diebus fuerunt tenebrae palpabiles in terra Aegypti; ubicumque erant filii Israel, erat lux' <sup>88</sup>. Tres dies sunt: cognitio Dei, sui ipsius et discretio boni et mali. Pro primis duabus orat AUGUSTINUS: 'Domine, da mihi cognoscere te et me' <sup>89</sup>. De tertio dicitur in Genesi, quod 'lignum, idest discretio, scientiae boni et mali, erat in paradiso' <sup>90</sup>, idest in mente hominis.

---

<sup>76</sup> Gen 1,c.

<sup>77</sup> Apoc 21,4 (Vg. ... *ab oculis eorum*)

<sup>78</sup> Cf. GLO. ORD., ibidem; ANONYMUS, *Commentarium in Apocalypsim*, mss Cremonae, XIIIs.

Cf. HAYMO D'ALBERTSTADT, EPISCOPUS (840-853), *Expositionis in Apocalypsim Beati Ioannis Liber septem*, PL 117, 1194A: «Omne lacrymam ab oculis electorum Dominus absterget, quia neque timore arctabuntur poenarum, neque iam differuntur a regno, quod praesentialiter possidebunt, neque etiam aliorum peccata deflebunt, quia iusto Dei iudicio damnatis reprobis, nullus deinceps peccare poterit».

<sup>79</sup> Prov 31,31 (Vg. ... *manuum suarum et...*); Cf. GLO. ORD., ibidem

<sup>80</sup> 3Reg 19,12 (Vg. *sibillum...*)

<sup>81/a</sup> Mt 25,34

<sup>81/b</sup> Il Codice A aggiunge qui una preghiera di conclusione della Clausula: «Rogemus ergo, fratres carissimi, Patris Verbum, omnium creaturarum principium, ut in huius vitae septenario, secundum corpus viventes, fidei articulo septenario secundum animam faciat vivere, qua ad ipsum, qui est vita et sabbati requies et denarius sanctorum, pervenire mereamur, ipso praestante, qui est benedictus in saecula saeculorum. Amen

<sup>82</sup> Cf. Mt 21,33

<sup>83</sup> Cf. Ez 1,16; GLO. ORD., ibidem

<sup>84</sup> GLO. ORD., ibidem; Cf. GREG., *Homiliarum in Ez. I*, hom. 6,15, PL 76,835

<sup>85</sup> Cf. Ex 26,3

<sup>86</sup> Mt 20,1 (Vg. ... *homini patrifamilias...*)

<sup>87</sup> GLO. INT., Gen 1,2: "Idest cordis".

<sup>88</sup> Cf. Ex 10,21-23

<sup>89</sup> Cf. AUGUSTINUS, *Soliloquiorum* II,1,1, PL 32,885

<sup>90</sup> Cf. Gen 2,9

Prima dies illuminat nos ad cognoscendam animae nostrae dignitatem, unde Ecclesiasticus: *Serva in mansuetudine animam tuam, et da illi honorem*<sup>91</sup>. Sed miser homo, cum in honore esset, non intellexit; comparatus est iumentis<sup>92</sup>. Secunda illuminat nos ad cognoscendam propriam infirmitatem, unde Michaeas: *Humiliatio tua in medio tui*<sup>93</sup>. Medium nostri est venter, thesaurus stercorum, in cuius consideratione superbia nostra humiliatur, arrogantia deprimitur, vanagloria exsufflatur. Tertia illuminat nos ad discernendum inter diem et noctem, lepram et non lepram, mundum et immundum, quae valde necessaria est. Nam: “Mala sunt vicina bonis, errore sub ipso. Pro vitio virtus crimina saepe tulit”<sup>94/a</sup>.

His vero tribus diebus sunt tenebrae palpabiles in terra Aegypti et super faciem abyssi; sed ubicumque sunt veri filii Israel, lux est, de qua Deus: *Fiat lux*. Haec lux est contritio cordis, animam illuminans, Dei cognitionem, suae propriae infirmitatis notitiam, boni et mali discretionem ostendens.

14 - Hoc est primum mane et prima hora, qua exiit paterfamilis, idest poenitens, ad conducendum operarios ad excolendam vineam suam, sicut dicitur in evangelio huius praesentis dominicae, in cuius missae introitu cantatur: *Circumdederunt me*, et legitur epistola beati Pauli ad Corinthios: *Nescitis quod ii qui in stadio currunt*, etc.

De hoc mane dicit Propheta: *Mane*, id est in ortu gratiae<sup>94/b</sup>, *stabo tibi*<sup>95</sup> rectus et erectus, sicut me fecisti rectum et erectum. ‘Deus enim, ut dicit AUGUSTINUS, rectus et erectus, fecit hominem rectum et erectum, ut solum tantum pedibus tangeret terram, idest sola necessaria quaereret a terra’<sup>96</sup>. De hoc mane dicitur in Marco: *Et valde mane una sabbatorum, veniunt ad monumentum, orto iam sole*<sup>97</sup>. Et nota quod bene dicit *una sabbatorum*; nemo enim potest venire *ad monumentum*, ‘idest ad suae mortis considerationem’<sup>98</sup>, nisi prius quiescat a temporalium sollicitudine. *In matutino* contritionis, inquit Propheta, *interficiebam*, idest reprimebam, *omnes peccatores terrae*<sup>99</sup>, idest omnes motus carnis meae. *Quae est ista*, inquit sponsus de anima poenitente, *quae ascendit quasi aurora consurgens?*<sup>100</sup> Sicut enim aurora initium est diei et finis noctis, sic contritio finis peccati et initium poenitentiae. Unde Apostolus: *Fuistis aliquando tenebrae, nunc autem lux in Domino*<sup>101</sup>; et iterum: *Nox praecessit, dies autem appropinquavit*<sup>102/a</sup>.

15 - Prima ergo luce et primo mane egrediatur paterfamilias ad excolendam vineam, de qua dicit Isaias: *Vinea facta est dilecto in cornu filio olei*<sup>102/b</sup>. *Sepivit eam, et lapides elegit ex illa; et aedificavit turrin in medio eius, et torcular extruxit in ea, et plantavit vineam electam*<sup>103</sup>. *Vinea*, ‘idest anima’<sup>104</sup>, *facta est dilecto*, idest ad honorem dilecti, *in cornu*, “idest in potentia”<sup>105</sup> *Passionis; dilecto dico, filio olei*, idest misericordiae; sola enim misericordia, *non ex operibus iustitiae quae fecimus nos*<sup>106</sup>, ipsam vineam salvam fecit; quam *sepivit*, sepe utriusque legis scriptae et gratiae, de qua Salomon

<sup>91</sup> Eccli 10,31 (Vg. *mut*)

<sup>92</sup> Ps 48,13

<sup>93</sup> Mich 6,14

<sup>94/a</sup> OVIDIUS, *Remedia amoris*, 323-324. Editiones: «Et mala... sub illo».

<sup>94/b</sup> ALANUS DE INSULIS (1128-1203), *Distinctiones dictionum theologicalium*, PL 210,770: «Primo mane. Diluculum proprie significat quod aurora. Dicitur initium divinae gratiae, unde in Psalmo: “Aduvabit eum Dominus mane diluculo”. Dicitur enim resurrectio diluculum, quia diluculo facta est».

<sup>95</sup> Ps 5,5 (Vg. *Mane astabo...*)

<sup>96</sup> Cf. AUGUSTINUS., *De Genesi ad litteram*, VI,12,22, PL 34,348

<sup>97</sup> Mc 16,2

<sup>98</sup> Cf. ISID., *Etym.* XV,11,1, PL 82,551: «*Monumentum* ideo nuncupatur, eo quod *mentem moneat* ad defuncti memoriam».

<sup>99</sup> Ps 100,8

<sup>100</sup> Cant 6,9 (Vg. ... *quae progreditur...*)

<sup>101</sup> Eph 5,8 (Vg. *Eratis enim...*)

<sup>102/a</sup> Rom 13,12

<sup>102/b</sup> “*Filius olei*”, della Misericordia (applicazione di Antonio). “*Olei*”, si può anche intendere come la cima di una montagna scoscesa, fertile di oliveti.

<sup>103</sup> Is 5,1-2 (Vg. *add mut*)

<sup>104</sup> Cf. GLO. ORD., Is 5,1

<sup>105</sup> GLO. INT., ibidem: “*In potentia et robore*”.

<sup>106</sup> Tit 3,5.

in Parabolis: *Qui dissipat sepem*, idest destruit legem, *mordebit eum coluber*<sup>107</sup>, “idest diabolus”<sup>108</sup>, ‘qui colit umbras’<sup>109</sup>, idest peccatores. Unde dicit Iob: *Sub umbra dormit*, idest mente umbrosa, *requiescit in secreto calami*, idest fallacia hypocritae, *et in locis humentibus*<sup>110</sup>, ‘idest in luxuriosis’<sup>111</sup>.

Sequitur: *Et lapides elegit ex ea*, idest durtiam peccati; *aedificavit turrim humilitatis*, vel superiorem partem rationis, *in medio eius, et torcular contritionis*, ex quo exprimitur vinum lacrimarum, *extruxit in ea*, et sic, exemplis et doctrinis sanctorum, *plantavit vineam electam*, in qua paterfamilias primo mane debet conducere operarios, scilicet amorem et timorem Dei, qui bene ipsam excolunt.

16 - Item, de hoc mane habes in primo libro Samuelis, quod *ingressus Saul media castra filiorum Ammon, in vigilia matutina, percussit Ammon usque dum incalesceret dies*<sup>112/a</sup>. *Saul* significat poenitentem, gratiae oleo inunctum; hic debet *in vigilia matutina*<sup>112/b</sup>, idest cordis contritione, ingredi *media castra* filiorum Ammon, ‘qui interpretatur aqua paterna’<sup>113</sup>, et significat motus carnis, qui a primo parente in nos tamquam aqua fluida derivantur. Istos Saul debet percutere usque dum incalescat dies, idest fervor gratiae mentem irradiet, et irradiatam calefaciat.

Item, de hoc mane habes in propheta Iona, quod *Dominus paravit vermem in ascensu diluculi; et percussit hederam et exaruit*<sup>114</sup>. Hedera, quae per se in altum non potest elevari, sed ‘alicuius inhaerens arboris ramis’<sup>115</sup>, altiora petit, divitem huius mundi significat, qui non per se, sed pauperibus elemosynis, quasi quibusdam brachiis, in caelum elevatur. Unde Dominus in evangelio: *Facite vobis amicos de mammona iniquitatis*, « idest inaequalitatis »<sup>116</sup>, *ut, cum defeceritis, recipiant etc.*<sup>117/a</sup>. Haec hedera *in ascensu diluculi*, idest ortu gratiae<sup>117/b</sup> vel cordis contritione, dente vermis, idest conscientiae remordentis, percutitur et abscinditur, ut, cadens in terram, idest considerans se terram, sibi ipsi arescat et vilescat, dicens cum Propheta: *Defecit cor meum*, ‘idest superbia cordis mei’<sup>117/c</sup>, *et caro mea*, ‘idest carnalitas mea’<sup>118</sup>.

His de prima die et primo mane contritionis praelibatis, ad secundam diem et tertiam horam confessionis transeamus.

17 - Secunda die dixit Deus: *Fiat firmamentum in medio aquarum, et dividat aquas ab aquis*. Firmamentum est confessio, quae firmiter religat hominem, ne effluat in deliciis. Unde Dominus improperat animae peccatrici, isto firmamento carenti, per Ieremiam: *Usquequo dossolveris deliciis, filia vaga?*<sup>119</sup> Et per Isaiam: *Transi terram quasi flumen, filia maris; quia non est cingulum ultra tibi*<sup>120</sup>. Anima misera dicitur *filia maris*, quae, quasi a mammilla diaboli, mundi sugit voluptatem, quae

<sup>107</sup> Eccle 10,8

<sup>108</sup> GLO. ORD., ibidem

<sup>109</sup> Cf. ISID., *Etym.* XII,4,2, PL 82,442: «Coluber, ab eo dictus, quod colat umbras».

<sup>110</sup> Iob 40,16

<sup>111</sup> Cf. GLO. INT., ibidem: “Luxuria”.

<sup>112a</sup> 1Reg 11,11 (Vg. *mut add*)

<sup>112b</sup> Il termine “vigilia” è proposto da Agostino e Girolamo per tradurre il testo ebraico, e differisce da “custodia”, usato dalla Volgata. Secondo il computo della giornata romana, la “vigilia matutina” corrispondeva alle 3-6 della notte, cioè al primo mattino, aurora o sorgere del sole secondo le stagioni. Girolamo usa l’espressione “a vigilia matutina usque ad vigiliam matutinam”, “ab uno mane usque ad aliud”, cioè sempre.

<sup>113</sup> Cf. GLOSSA INT., Gen 19,38: «qui interpretatur filius populi mei».

<sup>114</sup> Ion 4,7. (Vg. *add mut om*)

<sup>115</sup> ISID., *Etym.* XVII,9,22, PL 82,626: «Hedera dicta, quod arboribus reptando adhaereat».

<sup>116</sup> *Vitis mystica*, 6,29, PL 184,654

<sup>117/a</sup> Lc 16,9.

<sup>117/b</sup> ALANUS DE INSULIS (1128-1203), *Distinctiones dictionum theologiarum*, PL 210,770: «Dicitur initium divinae gratiae, unde in Psalmo: Adiuvaabit eum Dominus mane diluculo».

<sup>117/c</sup> AUGUSTINUS (354-430), *Sermones de tempore*, PL 38,1202: «Sursum enim cor non ad Dominum, superbia vocatur: sursum autem cor ad Dominum, refugium vocatur».

<sup>118</sup> Ps 72,26 (Vg. *mut*): Cf. GLOSSA INT., ibi.

<sup>119</sup> Ier 31,22

<sup>120</sup> Is 23,10 (Vg. *add om*). Cf. HUGO DE S. VICTORE INCERTUS, *Miscellanea*, PL 177,671: «Sicut anima dicitur filia maris, filia Tyri, filia Sidonis, filia Babylonis, exposita vanitati, voluptati, curiositati, et omnibus vitiis, sic



dulcedinem sapit, sed amaritudinem generat sempiternam. Une Iacobus: *Concupiscentia parit peccatum, peccatum vero cum consummatum fuerit generat mortem*<sup>121</sup>. Huic dicitur: *Transi terram quasi flumen*; ac si diceretur: Succinge te cingulo confessionis et restringe vestimenta tua, ne defluant ad immunditias; nec eligas transire super abundantiam terrenorum bonorum, ubi multi periclitati sunt, sed per tenuitatem et angustiam paupertatis; nam per rivulum animi securitate transitur. Sed animae peccatrici *non est cingulum*, non est firmamentum confessionis, de quo dicitur: *Fiat firmamentum in medio aquarum, et dividat aquas ab aquis*.

‘Aquae superiores sunt fluenta gratiae; aquae inferiores, fluenta concupiscentiae’<sup>122</sup>, quae debent esse sub homine. Vel aliter: mens iusti habet aquas superiores, scilicet rationem, quae est vis animae superior’<sup>123/a</sup>, quae semper hominem ad bonum provocat; aquae inferiores, idest sensualitatem<sup>123/b</sup>, quae semper tendit ad occasum. Dividat ergo firmamentum confessionis aquas superiores ab inferioribus, ut confitens ‘egressus a Sodomis, ascendens ad montana, non respiciat retro, cum uxore Loth, et convertatur in statuam vel cautem salis’<sup>124</sup>, quam animalia, idest daemonia, cum magna aviditate lambendo consumunt. Egressus etiam ex Egypto, cum veris Israelitis, tendens ad terram promissionis, non constituat sibi ducem, scilicet propriam voluntatem, et revertatur ad ollas carnum et pepones et allia Aegyptiorum, idest desideria carnalium.

*Fiat ergo, obsecro, firmamentum in medio aquarum*, ut, data confessori cautione firmi propositi non relabendi, in ipsa confessione, quasi in hora tertia cum apostolis, Spiritus Sancti musto inebriari, et tamquam uter, per confessionem novus, novo vino impleri mereatur. ‘Si enim novum vinum, ut dicit Dominus, scilicet Sancti Spiritus, missum fuerit in utrem veterem dierum malorum, et uter rumpetur et vinum effundetur’<sup>125</sup>, sicut accidit inveterato proditori Iudae, ‘qui, tamquam uter per collum suspensus, per ventrem crepuit medius, et viscera, quae avaritiae venenum exhauserant, in terra sunt diffusa’<sup>126</sup>.

Et bene confessio hora tertia nuncupatur, in qua verus confitens, tamquam paterfamilias, excolit animae suae vineam. In tribus enim se culpabilem debet confiteri, quia offendit Dominum, occidit seipsum, scandalizavit proximum, unicuique iustitiam debitam non exhibendo: Deo honorem, sibi cautelam, proximo dilectionem. Unde in introitu hodiernae missae deplorat, dicens: *Circumdederunt me gemitus mortis*, quia offendi Deum; *dolores inferni circumdederunt me*, quia incurri in mortale peccatum; *et in tribulatione mea*, qua tribulor, quia scandalizavi proximum, *invocavi*, cordis contritione, *Dominum, et exaudivit de templo sancto suo*, idest humanitate sua, in qua habitat divinitas, *vocem meam*<sup>127</sup>, idest vocem confessionis meae.

18 - Tertia die dixit Deus: *Germinet terra herbam virentem facientem semen iuxta genus suum, cuius semen sit in semetipso super terram*. Nota quod tertia die poenitentiae satisfactio notatur, quae consistit in tribus: oratione, iuiunio et elemosyna, quae in tribus praedictis notantur.

Dicatur ergo: *Germinet terra herbam etc.* Herba virens orationem significat. Unde dicit Iob de poenite: *Quis dimisit onagrum liberum, et vincula eius quis solvit? Cui dedi domum in solitudine, et tabernacula eius in terra salsuginis. Contemnit multitudinem civitatis, et clamorem exactoris non*

---

fidelis dicitur filia Iuda, filia Sion, filia Ierusalem». Cf. HERVEUS BURGIDOLENSIS (1080-1150), *Commentaria in Isaiam*, PL 181,226: «Et recte non filia Ierusalem, sed filia maris, idst saeculi vocatur haec anima, quia non ex amore superno, sed ex malitia praesentis saeculi nequam generata sunt in corde eius huiusmodi desideria, et saecularem intra se malitiam suscipiens effecta est filia saeculi».

<sup>121</sup> Iac 1,15 (Vg. add)

<sup>122</sup> Cf. GLO. ORD. ET INT., Gen 1,6: Cf. AUG., *Confessionum*, XIII,15, PL 32,851ss: «Aquae superiores, populos angelorum qui non indigent firmamento Scripturae; in inferioribus populis hominum qui indigent, ut per ipsum firmamentum Scripturae, scilicet inter carnalia et spiritualia, quasi inter superiores et inferiores aquas discernat».

<sup>123/a</sup> Cf. P. LOMBARDUS, *Sententiarum* II, dist. 24,6, PL 192,702; Ad Claras Aquas, I, p. 453.

<sup>123/b</sup> ALANUS DE INSULIS (1128-1203), *Sermones*, PL 210,200: «Tertium speculum est, in quo superiores partes hominis videntur inferiores et interiores superiores, per quod designatur ille praelatus qui secundum sensualitatem ita semper intentus est terrenis, ut ratione non respiciat ad superiora».

<sup>124/a</sup> Cf. Gen 19,17.26

<sup>124/b</sup> Cf. Ex 16,3

<sup>125</sup> Cf. Lc 5,37 et GLO. Ord., ibi.

<sup>126</sup> Cf. Act 1,18

<sup>127</sup> Cf. Ps 17,5-7

audit. *Circumspicit montes pascuae suae et virentia quaeque perquirit*<sup>128/a</sup>. Onager, ab onere et agro sic dictus<sup>128/b</sup>, poenitentem significat, qui in agro Ecclesiae supportat onus poenitentiae. Hunc Dominus *liberum dimittit, et vincula solvit*, cum a servitute diaboli liberum et vinculis absolutum, scilicet peccatorum, abire permittit. Unde in Ioanne dicit Dominus apostolis: *Solvite eum, et sinite abire*<sup>129</sup>.

Huic dat Deus *domum in solitudine mentis, et tabernacula vitae activae*, in quibus militat in *terra salsuginis*, idest mundanae conversationis. Et sic iste poenitens *contemnit multitudinem civitatis*, de qua dicit Dominus per Prophetam: *Ego Dominus, et non mutor*<sup>130</sup>, et civitatem non ingredior; et David: *Vidi iniquitatem, quoad Deum, et contradictionem, quoad proximum, in civitate*<sup>131</sup>. *Et vocem exactoris non audit*. 'Exactor est diabolus, qui semel nummum peccati obtulit primo parenti, et hunc quotidie cum usura exigere non cessat. Vocem exactoris huius poenitens non audit, cum eius suggestioni non acquiescit'<sup>132</sup>. 'Vel exactor est venter, qui quotidie gulae tributum cum clamore exigit; sed minime poenitens audit, quia ei, non ad voluptatem etsi ad necessitatem, non obedit'<sup>133</sup>.

Hic onager *Circumspicit montes pascuae suae*, 'quia, in excellentia vitae positus, Sacrae Scripturae pascua circumspiciens invenit'<sup>134</sup>, dicens cum Propheta: *In loco pascuae ibi me collocavit*<sup>135</sup>; et sic *virentia quaeque* in orationis devotione *perquirit*, ut de pascua sacrae lectionis perveniat ad carpenda virentia devotae orationis, de qua dicitur: *Germinet terra herbam virentem*.

19 - Sequitur: *Et facientem semen*, per quod ieiunium significatur. Unde Isaias: *Beati qui seminatis super aquas, innectentes pedem bovis et asini*<sup>136</sup>. *Super aquas seminat*, qui et orationi et compunctioni lacrimarum ieiunium superaddit, et sic *innectit*, "vinculis scilicet praeceptorum"<sup>137</sup>, *pedem*, idest affectum, *bovis*, idest spiritus, et *asini*, idest corporis. Unde dicit Dominus: 'Hoc genus daemoniorum, idest cordis immunditia et carnis luxuria, non potest eici, nisi oratione et ieiunio'<sup>138</sup>. Oratione enim cor a polluta cogitatione mundamus, ieiunio carnis petulantiam refrenamus.

Sequitur tertium: *Lignum pomiferum faciens fructum iuxta genus suum*. In ligno pomifero eleemosyna designatur, quae fructificat in egenis, et per ipsorum manus reportatur in caelum. Et nota quod dicitur: *Lignum pomiferum faciens fructum iuxta genus suum*. Genus hominis est alter homo, de humo creatus et anima vivificatus; debet ergo eleemosynam facere, *fructum iuxta genus suum*, quia et anima spirituali et corpus pane corporali reficitur. Unde dicit Iob: «*Visitans speciem tuam non peccabis*»<sup>139</sup>. 'Species tua est alter homo'<sup>140</sup>, quem eleemosyna tam spirituali quam corporali debes visitare; et sic non peccabis contra illud praeceptum: *Diliges proximum tuum sicut teipsum*<sup>141</sup>. Sed nota quod dicitur: *cuius semen sit in semetipso*<sup>142</sup>. Ibi dicit AUGUSTINUS: "Qui ordinarie vult eleemosynam facere, prius a seipso debet incipere"<sup>143</sup>.

Haec tria poenitentiae satisfactionem perfectam faciunt, quae bene significatur per sextam horam, scilicet meridiem, circa quam paterfamilias exiens conduxit operarios in vineam excolendam. Et nota quod in meridie, quo magis fervet sol quam alia parte diei, satisfactionis fervor designatur. Unde circa finem Deuteronomii: *Nephthali abundantia perfruetur, et plenus erit benedictione Domini:*

---

<sup>128/a</sup> Iob, 39,5-8 (Vg. *mut om*)

<sup>128/b</sup> In realtà, *onager* viene da *ónos* (asino) e *ager* (campo). In luoghi paralleli, III,80,32, *ager* è "il mondo" e, III, 290,3, "la Chiesa".

<sup>129</sup> Io 11,44

<sup>130</sup> Mal 3,6 (Vg. *Ego enim...*)

<sup>131</sup> Ps 54,10

<sup>132</sup> Cf. GREG., *Moralium* XXX,18,57, PL 76,555

<sup>133</sup> Cf. GREG., *o.c.* XXX,18,58.61, PL 76,555.557-558

<sup>134</sup> Cf. GREG., *o.c.* XXX,19,64, PL 76,559

<sup>135</sup> Ps 22,2

<sup>136</sup> Is 32,20 (Vg. ... *super omnes aquas immittentes pedem...*; in GLO., *super omnes aquas innectentes pedem...*)

<sup>137</sup> GLO. INT., ibidem: "Vinculis scilicet praeceptorum".

<sup>138</sup> Cf. Mt 17,20

<sup>139</sup> Iob 5,24

<sup>140</sup> GREG., *Moralium* VI,35,54, PL 75,758

<sup>141</sup> Mt 22,39

<sup>142</sup> Gen 1,11 (Vg. *mut*)

<sup>143</sup> AUG., *Enchiridion*, 76, PL 40,268; Cf. P. LOMB., *Sent. IV*, dist. 15,3, PL 192,874; *Ad Claras Aquas, II*, p. 330.

*mare et meridiem possidebit*<sup>144</sup>. ‘Nephthali interpretatur conversus sive dilatatus’<sup>145</sup> et significat poenitentem, qui a via sua mala convertitur et in bono opere dilatatur. Hic abundantia gratiae in via perfruetur et benedictione gloriae adimplebitur, qui, ut adipisci mereatur, prius necesse est ut mare, idest amaritudinem cordis, et meridiem, idest fervorem, possideat satisfactionis.

20 - Quarta die dixit Deus: *Fiant duo magna luminaria in firmamento*. Quarta virtus est dilectio Dei et proximi: dilectio Dei in solis claritate, dilectio proximi in lunae mutabilitate designatur. Nonne videtur tibi quaedam mutabilitas *gaudere cum gaudentibus, flere cum flentibus?*<sup>146</sup>. De his duobus dicitur circa finem Deuteronomii: *De pomis fructuum solis et lunae*<sup>147</sup> terra Ioseph repleatur. Poma opera iusti significant, propter iucunditatem perfectionis, pulchritudinem purae intentionis, odorem bonae opinionis. Haec poma sunt *solis et lunae*, idest dilectionis Dei et proximi, quae duo perfectum quemlibet faciunt. Haec duplex dilectio in hora nona, circa quam paterfamilias exiit, designatur; perfectio enim geminae dilectionis perducit ad perfectionem angelicae beatitudinis, quae in novem ordinibus a propheta Ezechiele sic distinguitur, ubi loquitur ad Luciferum, sub typo novem lapidum: *Omnis lapis pretiosus operimentum tuum: sardius, topazius et iaspis, chrysolithus, onyx, berillus, sapphirus, carbunculus et smaragdus*<sup>148</sup>.

21 - Quinta die fecit Dominus pisces in mari et aves super terram. Quinta virtus est exercitatio vitae activae et contemplativae, in qua vir iustus, tamquam piscis, perambulat semitas maris, idest mundi, ut proximi necessitatem patienti valeat subvenire; et contemplativus, tamquam avis, penna contemplationis in aerem elevatus, pro modulo suae capacitatis *regem in decore suo*<sup>149</sup> speculatur. *Homo*, inquit Iob, *nascitur ad laborem* vitae activae, et *avis ad volatum*<sup>150</sup> vitae contemplativae.

Et nota quod, sicut ‘avis quae latum habet pectus, eo quod multum capit aeris, a vento retardatur, et quae strictum habet pectus et acutum, velocius et sine difficultate volat’<sup>151</sup>, sic mens contemplativi, si multis et variis cogitationibus dilatatur, in contemplationis volatu nimium praepeditur; sed si adunata et in uno collecta coeperit volare, ipsius contemplationis gaudio perfruetur. Huius geminae vitae exercitatio in hora undecima, circa quam paterfamilias exiit, designatur. Undecima hora constat ex uno et decem: vita contemplativa ad unum refertur, quia unum Deum, unum gaudium speculatur; vita ergo activa ad decem praecepta decalogi, quibus ipsa vita activa in huius exilii vita plenarie perficitur.

22 - Sexta die dixit Deus: *Faciamus hominem ad imaginem et similitudinem nostram*. Sexta et ultima virtus animae, finalis perseverantia, ‘quae est cauda hostiae in sacrificio, tunica Ioseph talaris polymita’<sup>152</sup>, sine qua quinque supradictae virtutes inutiliter habentur, cum qua utiliter possidentur, in qua, tamquam in sexta die, imago et similitudo Dei, numquam deturpanda, numquam obliteranda, numquam foedanda, faciei animae imprimitur aeternaliter.

---

<sup>144</sup> Deut 33,23 (Vg. ... *benedictionibus...*)

<sup>145</sup> Cf. GLO. INT., Gn 30,8: *HIERONIMUS, Liber de Nominibus Hebraicis, Gen, 30,8; PL 28,826: «Conservavit me vel dilatavit me, vel certe implicavit me. Conservationem et comparisonem; Ex, « Latitudo ».*

<sup>146</sup> Rom 12,15

<sup>147</sup> Deut 33,14

<sup>148</sup> Ez 28,13 (Vg. *add.*). Cf. *AELREDUS RIEVALLENSIS (1110-1167), Sermones de oneribus, PL 195,431: «Ait Ezechiel: Omnis lapis pretiosus operimentum tuum (Ez 28,13). Deinde novem lapidum subiungit nomina ut, secundum quosdam, novem ordinibus angelorum probaretur ornatus, clarior caeteris sapientia, et decore caeteris eminentior». Antonio descriverà i nove cori degli Angeli in II, 356, 19 – 359,29 (21a Dominica post Pentecosten, 3-5).*

<sup>149</sup> Is 33,17

<sup>150</sup> Iob 5,7

<sup>151</sup> Cf. *ARISTOTELES, De part. an. IV,12,693b16-18: « Pectus acutum carnosumque omnibus est. Acutum, ut melius volent. Lata enim, quia multum aeris propellunt, difficilius moventur. Carnosum, quia quod acutum est, nisi plene opertum sit, imbecillum est ».*

<sup>152</sup> Cf. *GREG., In Evangelia homilia 25,1, PL 76,1189*

Hoc sero evangelii, ultima hora vitae humanae, qua paterfamilias per dispensationem, idest per filium suum, in vinea bene operanti reddit denarum, per sabbatum, “quod requies interpretatur”<sup>153</sup>, significatur; de qua Isaias: *Erit mensis ex mense*<sup>154</sup>, ‘idest perfectio gloriae ex perfectione vitae’<sup>155</sup>, *et sabbatum ex sabbato*<sup>156</sup>, idest requies aeternitatis ex requie pectoris, ‘quae consistit in duplici stola animae et corporis’<sup>157</sup>.

Anima tribus et corpus quattuor dotibus glorificabitur. ‘Anima sapientia, amicitia et concordia decorabitur’<sup>158</sup>. Sapientia Dei in animae facie resultabit, et ‘videbit Deum sicuti est’<sup>159</sup>, et ‘cognoscat sicut cognita est’<sup>160</sup>; amicitia etiam erit ad Deum, unde Isaias: *Cuius ignis in Sion*, ‘idest in Ecclesia militanti’, *et caminus*, scilicet ardentissimi amoris’, *in Ierusalem*, ‘idest in Ecclesia triumphanti’<sup>161/a</sup>; concordia ad proximum, de cuius gloria tantum gaudebit quantum gaudebit de sua. ‘Quattuor etiam erunt dotes corporis: claritas, subtilitas, agilitas et immortalitas, de quibus dicitur in libro Sapientiae: *Fulgebunt iusti*, ecce claritas, *et tamquam scintillae*, ecce subtilitas, *in arundinetis discurrent*, ecce agilitas, *et regnabit Dominus illorum in perpetuum*<sup>162</sup>, ecce immortalitas’<sup>163</sup>. ‘Deus enim non est mortuorum sed vivorum’<sup>164</sup>.

23 - Ut hanc incorruptibilem coronam, septem lapidibus istis insignitam, mereamur accipere, curramus sicut dicit Apostolus in hodierna epistola: *Nescitis quod ii qui in stadio currunt, omnes quidem currunt, sed unus accipit bravium? Sic currite ut comprehendatis. Omnis enim qui in agone contendit ab omnibus se abstinere; et illi quidem ut corruptibilem coronam accipiant, nos autem incorruptam*<sup>165</sup>. « Stadium est octava pars miliarii, constans passibus centum viginti quinque »<sup>166</sup>, et significat laborem huius exilii, in quo debemus ‘currere in unitate fidei’<sup>167</sup>, ‘passibus amoris’<sup>168</sup>, qui sunt centum viginti quinque. In hoc numero omnis perfectio divini amoris designatur. ‘In centum, qui numerus est perfectus, doctrina evangelica’<sup>169</sup>; ‘in viginti, decalogi decem praecepta, quae litteraliter et spiritualiter sunt adimplenda’<sup>170</sup>; ‘in quinque, quinque sensuum delectatio refrenanda intelligitur’<sup>171</sup>. Qui in tali stadio currit bravium, idest remunerationem coronae incorruptae, accipit, de qua in Apocalypsi: *Dabo tibi*, inquit Dominus, *coronam vitae*<sup>172</sup>.

Quem, fratres carissimi, suppliciter et lacrimabiliter imploremus, quatenus ipse, qui nos creavit et recreavit, creavit ex nihilo, recreavit sanguine proprio, constituere dignetur in aeternae beatitudinis

---

<sup>153</sup> GREG., *Homiliarum in Ezechielem* I, homilia 6,18, PL 76,838; ISID., *Etym.* VI 18,17, PL 82,251

<sup>154</sup> Is 66,23

<sup>155</sup> Cf. GREG., l.c.

<sup>156</sup> Is l.c.

<sup>157</sup> Cf. GREG., *In libros Moralium Praefatio*, 10,20, PL 75,528; INNOCENTIUS III, Sermo 14, PL 217,380.

<sup>158</sup> Cf. GUILLELMUS S. THEODORICI († 1148), *Epistola ad fratres de Monte Dei*, p. III,2,3, PL 184,355. Il libro III, inserito da Migne in PL 184, 3,2, estratto da un sermone di sant’Anselmo sulla beatitudine celeste, non fa parte della *Lettera d’Oro* di Guglielmo. Vedi VALENTIN STRAPPAZZON, *Saint Antoine de Padoue et Guillaume de Saint-Thierry*, «Il Santo», LIX (2019), p192, n. 7.

<sup>159</sup> Cf. IIo 3,2

<sup>160</sup> Cf. 1Cor 13,12

<sup>161/a</sup> Is 31,9 (Vg. *add*); Cf. GLO. INT., ibidem: “Tunc cognoscam sed nunc ut ad id perveniam”.

<sup>161/b</sup> Cf. ANSELMUS CANTUARIENSIS (1033-1109), *Proslogion*, PL 158,241: «Et utique, quoniam quantum quisque diligit aliquem, tantum de bono eius gaudet: sicut in illa perfecta felicitate unusquisque plus amabit sine comparatione Deum quam se et omnes alios secum; ita plus gaudebit absque aestimatione de felicitate Dei quam de sua et omnium aliorum secum».

<sup>162</sup> Sap 3,7.8

<sup>163</sup> Cf. INNOCENTIUS, *o.c.*, PL 217,380-381

<sup>164</sup> Cf. Mt 22,32

<sup>165</sup> 1Cor 9,24-25

<sup>166</sup> ISID., *Etym.* XV,16,3, PL 82,557

<sup>167</sup> Cf. Eph 4,13

<sup>168</sup> GREG., *In Evangelia* homilia 29,11, PL 76,1219

<sup>169</sup> GREG., *Hom. In Ez.* II, hom. 6,16, PL 76,1007

<sup>170</sup> Cf. GLO. INT., Gn 18,31: “Decalogi mandata”.

<sup>171</sup> Cf. GLO. ORD., Mt 25,2

<sup>172</sup> Apoc 2,10

septenario ; et cum ipso, qui est principium omnium creaturarum, vivere aeternaliter mereamur, ipso praestante, qui vivit et regnat in saecula saeculorum. Amen.